De omenti laceratione et mesenterii chordapso: commentatio prior qua munus Professoris Ordinarii in Schola Regia Clinica rite auspicaturus ad audiendam orationem illustris ictorum ordinis concessu in auditorio juridico a. d. XXII. Maji a. MDCCCXXX. h. IX. mat. habendam observantissime invitat / D. Joannes Christ. Augustus Clarus.

Contributors

Clarus, Johann Christian August, 1774-1854. Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae: Apud Adolphum Frohberger, [1830]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/va3a6pwc

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. Where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org



DE

MENTI LACERATIONE

ET

MESENTERII CHORDAPSO COMMENTATIO PRIOR

QUA

MUNUS

PROFESSORIS ORDINARII IN SCHOLA REGIA CLINICA

RITE AUSPICATURUS

AD AUDIENDAM ORATIONEM

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO JURIDICO

A. D. XXII. MAJI A. MDCCCXXX. H. IX. mat.

HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

D. JOANNES CHRIST. AUGUSTUS CLARUS.

LIPSIAE.

APUD ADOLPHUM FROHBERGER, IN COMMISSIS.

MENTI LACERATIONE

TA

MESENTERII CHORDAPSO

1.40

BUNKER

OFESSORIS ORDINARII IN SCHOLA

STATESTICATED STATE

AS APPIRADAE OBATIONES

RESTRUS ICTORUM ORDINIS CONCESSO

OSIGIRAL OTHORTOGUE EL

S. XXIII. MAHA. MDCCCXXX: n. rx. mat.

RABESTAR

TATETAL SPINSORS TARREST

JOANNES CHRIST, AUGUSTUS

LIFSILE

Beatissimi ac desideratissimi Regis, FRIEDERICI AUGUSTI, cujus memoriam sanctam et sempiternam pia mente recolimus omnes, clementia et VIRO-RUM ILLUSTRISSIMORUM, qui rerum evangelicarum in hac civitate supremam curam gerunt, consilio et auctoritate factum est, ut anno hujus seculi undecimo munus Magistri primarii in schola Regia clinica, quo tunc ipse jam per biennium functus eram, Professionis Ordinariae nomine ac dignitate insigniretur. Quos muneris hujus, adhuc a me administrati, honores solenni ritu capessere, cur tam diu cunctarer, rationes habui complures, quarum candida commemoratione, si excusare hanc moram non potuero, eam deprecari saltem conabor. Ac primum quidem id, quod a me peccatum est in negligendo usu academico antiquitus recepto, nihil omnino nocuisse spero, neque aliorum commodis, neque ipsius scholae mihi commissae saluti et incremento. Quanquam enim, quo modo demonstrationibus clinicis, per hos viginti annos, et auditoribus meis et literis prodesse mihi licuerit, aestimandum aliis relinquo, ipse tamen internum habeo eumque incorruptum judicem, mentem recti consciam, quae, privatam utilitatem, corporis et valetudinis curam, amicorum consuetudinem et ipsam adeo famam, scriptis apud exteros mihi parandam, muneris religioni semper a me posthabitas esse, testatur. Nec tardus interea fui ad alia, eaque satis impedita negotia,

slass publica vel civinta amor obire-

administrated. Incidit raim ista men creation

quae necessitas publica vel civium amor obire juberet, administranda. Incidit enim ista mea creatio in turbidum illud ac flebile tempus, quo saevum inter Gallos eorumque socios et Rutheniam parabatur bellum et, cum paulo post exarsisset, etiam nostras regiones non caede solum implebat et igne, sed foeda quoque et mortifera peste contaminabat et populabatur. Jam, quum medici forensis munere in hac fungerer urbe, non modo sanitatis publicae tuendae cura mihi imposita est, sed etiam, quum ingenti militum, tum ad Lutzenam, tum in campis Lipsiensibus vulneratorum numero medici et chirurgi castrenses non sufficerent et propterea urbani, quin etiam homines, artis salutaris usu propemodum destituti, in auxilium vocandi essent, illis regundis, his instituendis praefectus sum. Accesserunt, bello finito, curationum privatarum labores et molestiae, studium, quod libris nonnullis a me editis impendendum erat, Physici in praefectura Lipsiensi munus mihi injunctum, luctus domestici et complures ad exteros vocationes, quarum recentissimae et exoptatissimae, qua munus Professoris Clinices in Academia Berolinensi aliquot abhine annos mihi oblatum est, laeto et grato animo obtemperaturus eram, nisi SERENISSIMI ac DILECTISSIMI REGIS NOSTRI, ANTONII, quem D. O. M. ad Nestoris usque annos sospitem atque incolumem esse jubeat, gratia et voluntas praevaluissent. Ita, labentibus annis, sensim languescere coepit scriptionis et orationis inauguralis elaborandae consilium et propterea, quod saepius illud nunc repetitum nunc intermissum esset, longiorem etiam moram pati visum est. Denique non dissimulabo, animum quoque

pertaesum esse antiqua illa Academiae nostrae instituta et privilegia, quae Professoribus Ordinariis, quorum munera recentiore aevo instituta sunt, hanc sortem et conditionem imponebant, ut non solum reliquorum emolumentis carerent (id quod facile ferendum erat et Regis munificentia solebat suppleri), sed arcerentur quoque a gerendo munere Rectoris, Procancellarii et Decani, immo prohiberentur seniorum senatu, in quo de summa Academiae, id est de rebus iis omnibus, quae ad communem cunctorum utilitatem atque adeo ad literarum incrementum pertinent, deliberabatur. Jam vero, quum CLEMEN-TISSIMI REGIS MINISTRORUMQUE EJUS ILLUSTRISSIMORUM sapientia, constantia et auctoritate res nostrae eo pervenerint, ut nuperrime ad rationem huic seculo melius accommodatam Academiae forma instaurata sit, longiore cunctatione ipsi magis officio meo, immo pietati, quam usui recepto deesse videar. Itaque Professoris Ordinarii provinciam honorificam nunc rite auspicaturus, hanc emisi prolusionem, cui paratissimum argumentum mihi praebuit gravioris et rarioris morbi, aliquot abhine annis in schola clinica observati, historia, Superest ut, idoneis adnotationibus illustranda. brevi oratione, in avunculi et antecessoris quondam mei, Ernesti Benj. Gottl. Hebenstreitii, memoriam habita, pro beneficiis in me collatis, quae plura sunt et majora, quam ut ea me unquam promeriturum esse sperare possim, summo rerum humanarum arbitro gratias publice agam ardentissimas et pro AUGUSTISSIMI REGIS salute et incolumitate, pro patriae universae, hujusque Academiae vero et perpetuo incremento pia vota suscipiam. Quam solemnitatem, ut praesentia sua ornent, RECTO-REM ACADEMIAE MAGNIFICUM, PRINCI-PEM CELSISSIMUM, COMITES ILLUSTRIS-SIMOS, PROCERES UTRIUSQUE REIPU-BLICAE GRAVISSIMOS, COMMILITONES GENEROSISSIMOS et HUMANISSIMOS, omni, qua par est, observantia oro rogoque.

many torov mat . interestable . Jene

Academies derries instances sit, leading confetations

conisi problemonem . con paculiasimon irrginment

longis adhotationisus illustriands. Supercial all.

Lineal Menj. Leath Medicinetritii, menniti

oug 15 samesianing moon solding entery outel

perpolao meremento pia sola suscintami. Change

appendix among interpreted but on the country broins

on ward a W. Friday Shan Sandhach , Barrahach

make the making an always a distance in the manufact Ancilla, quartum et vigesimum agens annum, morbis, quibus infantes obnoxii esse solent, sine aliquo discrimine superatis, jam anno aetatis decimo quarto laborare coeperat cardialgia, quae, etsi gravis et continua non erat, sexus tamen maturitatem ita retardavit, ut mensium fluxus non prius, quam anno duodevigesimo exacto, solitis quidem intervallis, sed etiamtum parcius, solveretur, corporis simul, ceteroquin recte formati et nutriti, habitu molliore et laxiore. Die xxvIII. Novembris anni cidiocccxxI., postquam sub vesperam jusculum et halec, aceto et oleo conditum, cum pane multo comedisset et per aliquot inde horas negotiis domesticis functa esset, tandem, cubitum itura, corpus lecto non placide, sed cum impetu quodam vel saltu, ludibunda ita commisit, ut supina in sinistrum latus vehementius incideret. Illico sensit dolorem atrocissimum, ab umbilici regione ortum et super omnem abdominis ca vitatem subito diffusum, qui, quominus resurgere posset, eam impedivit. Hinc nata cum esset aut cruditatis aut veneni suspicio, in eademque opinione aegrota, alius noxae immemor, esse videretur ipsa; medici adjutor, multa nocte vocatus, ante omnia validum emeticum (Tartar. stibiat. Gr. jv. et Radic. Ipecac. 36) idoneis intervallis propinandum esse, putavit, quod, etsi omne absumtum erat, vomitum tamen effecit nullum. Postero die, cum dolor continuus et vix aliquid remissior abdominisque

inflatio tympanitica reconditam ibi inflammationem proderent, medicus ordinarius, Vir, longo eoque felicissimo artis usu merito celeberrimus, venaesectionem modicam institui et paulo post hirudines quoque admoveri jussit, simulque assidua et circumspecta cura adhibuit fomentationes, unguenta, clysmata et mulsa oleosa, quibus tertio die, propter alvi obstructionem, adjectum est Extractum Aloës aquosum. Jam alvus quidem hoc ipso die largiter soluta est, sed inflationis ac doloris non nisi exigua fuit et brevis remissio. Interea nulla febris, nulli vomendi conatus, nullum friqus in partibus extremis! Septimo tandem die ad finem vergente, aegrota, quum Calomel quoque, Aqua Laurocerasi, Sinapismi etc. nihil emolumenti praebuissent, ad nosocomium translata est.

Die sexto Decembris, quum exploratio ejus coram auditorum coetu a me institueretur, symptomatum ratio inventa est hace: Abdomen ab omni quidem parte valde distentum, ab anteriore tamen magis elevatum, ab utroque vero latere compressum et quasi complanatum, digitis percussum, tympani madidi instar resonans, nec minus, manu ad oppositum latus applicata, fluidi intus contenti obscurum signum edens; - Dolor, etsi cavitatem occupabat omnem, inter umbilicum tamen et processum xiphoideum acrior, quovis corporis, levissimi adeo contactus impatientis, motu auctus, quiescente autem puella remissior; - Lingua biliosa sorde obducta quidem, sed humida, ructus crebriores, amari, vomendi tamen molimina nulla; - Sitis magna, ciborum desiderium plane nullum, alvus bis noctu soluta, excrementa pultacea, fusca, exigua; - Urina parca,

saturata, turbida; — Pulsus, qui per sexagesimam horae partem quinquies et nonagies micabat, celer, non admodum parvus, subdurus. — Respiratio frequens, brevis, alta et suspiriis interrupta; — Cutis calor ubique aequalis et ne supra ventrem quidem naturali superior; — Faciei neque rubor ac turgor eximius, neque pallor et collapsus, color tamen subflavus; — Oculi languidi; Situs dorsalis, tranquillus; — Somnus inquietus, brevissimus, anxietas mediocris, mens sui compos. —

Neminem fore credo, qui, rebus sic comparatis, mali naturam non dicat fuisse maxime reconditam certiusque, quae non esset, potuisse intelligi, quam, quae esset, probari! Itaque, in diagnosi instituenda, primum, quae neganda viderentur, separavimus, ut, quid statuendum esset, probabili saltem conjectura assequeremur. Cognovimus autem ex absentia: tam doloris acrioris, quam stuporis, - herniae aut prolapsus, - vomitus, inprimis stercorei, - obstructionis alvinae, - exilitatis et frequentiae pulsuum, - algoris in partibus extremis, - collapsus cutanei et vultus s. d. hippocratici, tum vero ex symptomatum constantia et incremento tardiore, abjiciendam esse suspicionem tam veneni cujuslibet ingesti, quam strangulationis intestinorum, sive per incarcerationem externam aut internam, sive per invaginationem aut ileum. Contra perspicuum fuit:

- 1) Subesse inflammationem peritonaei, eam tamen minus acutam, quoniam ad septimum usque diem eodem fere gradu perstiterat neque interea terminata erat exsudatione copiosiore aut gangraena.
- 2) Remota veneni et strangulationis suspicione, nullam aliam inveniri causam, quae in corpore sano,

adeo violenta et gravia symptomata, tam cito provocare posset, praeter visceris abdominalis cujusdam laesionem ac dislocationem, vi aliqua mechanica illatam.

- 5) Laesionem visceris nobilioris: ut hepatis, lienis, ventriculi, intestinorum etc., citius debuisse mortem afferre, aut per haemorrhagiam internam aut per gangraenam; dislocationem vero ne cogitari quidem posse, nisi in parte, quae, pro situs et nexus sui ratione, a loco naturali posset dimoveri.
- 4) Occasionem haud dubie malo praebuisse motum illum praecipitatum, quo aegrota, ventriculo cibis onusto, se in lectum prostraverat supina.

Hinc in me nata est persuasio: Aegrotam hac ipsa imprudentia sua sibi contraxisse dilacerationem omenti idque factum esse hoc fere modo, quod ventriculus et intestina, ut partes in abdominis cavo pensiles ac mobiles, motum corporis, sinistrorsum et retrorsum projecti, minore celeritate sequerentur et pondere suo, post pastum aucto, impetum facerent in omentum, huic motui retardato oppositum. Eadem projectionis lege fieri potuit, ut mesenterium in regione vertebrarum lumbalium, ubi e duplici peritonaei lamina nascitur et hac radice sua in abdominis cavum prominet, circa axin suum horizontalem ageretur et chordae instar contorqueretur. - (Xooδαψός, a Χόρδη et ἄπτω) V. partem hujus libelli alteram, in qua vocis illius veram significationem ex antiquis scriptoribus sum expositurus.

Quod quidem judicium, quanquam non diffiteor, symptomatum per septiduum observatorum comparatione, quae diagnosin octavo morbi die faciliorem reddebat, quam primo, valde adjutum esse; tamen illud non e cadaveris demum sectione, sed ex argumentis diagnosticis supra expositis depromptum atque deductum fuisse, declarant verba, quae, prima exploratione finita, a me prolata et, pro consuetudine apud nos recepta, diario scholae, coram auditoribus, inserta sunt:

"Diagnosis quam maxime dubia: Videtur ta"men repentinus dolor, praevio corporis motu
"violento natus, mechanicam aliquam laesionem
"indicare: vel dilacerationem omenti, vel disloca"tionem mesenterii, cui se junxerit spasmus cum
"inflammatione lenta et fluidi alicujus in cavum
"abdominis effusione, ex quo denique extricatus
"sit aer etc.

De prognosi haec monita sunt:

"Omenti quidem vulnera, per se sola, in"eluctabilem mortis necessitatem non afferre,
"utpote quae ut unum instar omnium sit exem"plum, saepe impune fiant in herniis per inci"sionem reponendis et quidem non sine vasorum
"majorum laesione ipsarumque membranarum vio"lenta compressione, laceratione adeoque jactura
"partiali. Periculum tamen hic maxime augeri
"eo, quod non solum inflammatio in exsudatio"nem jam transgressa sit et aër, sacco perito"naei inclusus, imminentem gangraenam porten"dat, sed inprimis quod partes, loco depulsae,
"nullo artis auxilio reponi possint et hoc ipso
"situ suo abnormi et insolito inflammationem
"alere et augere usque debeant.

Hac rerum conditione spem salutis exiguam superesse eamque his artis medicae praesidiis unice contineri intellectum est:

- 1) ut inflammatio lente gliscens exstingueretur ejusque transitus in gangraenam averteretur;
 - 2) ut fluidi jam effusi resorptio juvaretur;
- 3) ut secretionum et excretionum ordo et successio servaretur.

Quibus indicationibus ut satisfieret, primum commendatus et paratus est situs dorsi elevatus, corpore simul in latus sinistrum paululum inclinato, genubus vero, culcita supposita, modice flexis, ut musculorum, qui abdomen circumdant, vel ex eo prodeunt, remissione, partium internarum intentio et compressio imminueretur. Ceterum, quum vis inflammationis jam fracta esset venaesectionis et hirudinum usu; hydrargyrum muriaticum mite, opio junctum, - (hac lege, ut prioris trientem, posterioris quadrantem grani sumeret, sex horarum intervallis) — et emulsio papaverina simplex aptissima remedia visa sunt, ad vasorum actionem coërcendam, ad nervorum temperiem moderandam et ad nisum plasticum, qui fibrosae sanguinis parti inest, compescendum. Eodem consilio adhibita quoque sunt fomenta et clysmata emollientia et inunctio calida olei amygdalarum dulcium cum tinctura Opii.

Persequi nunc liceat, indicis modo et brevitate, singulos morbi dies ipsiusque diarii clinici verbis uti, omissis tamen digressionibus, quas discentium commoda subinde jubere videbantur.

D. VII. Decembris: Inflationis ac doloris relaxatio nulla; ructus crebriores et sonori, alvus clysmate soluta eaque copiosa et feculenta, vomitus autem nullus; pulsus subdurus, hesterno frequentior et celerior, neque tamen aut medii corporis calor nimius aut membrorum algor et livor; respiratio parva; habitus et situs tranquillus; oculorum, vultus, linguae, sitis etc. eadem conditio.

Quum ex quatuor vel quinque diebus sanguis non subductus esset, pulsus autem ratio inflammationis novum incrementum significare videretur; hirudines decem locis vehementissime dolentibus applicari, in reliquorum vero remediorum usu perseverari, jussum est.

D. VIII. Dec. Doloris post hirudines exigua, sed brevis remissio, abdominis distentio major, alvus enematis ope subducta, vomitus nullus, pulsus prioribus diebus frequentior ac durior, inquietudo magna; - in reliquis omnibus nihil mutatum. Firmata hine sententia: inflammationem, ab omento rupto profectam, sustentari et subinde augeri viscerum situ abnormi, nondum tamen spem dimittendam esse omnem, fore, ut, suppressa phlogosi, non modo mortis periculum urgens averteretur, sed illius quoque effectus minus noxii redderentur. Quaeri fortasse poterat, num, si una tantum, eaque minor intestinorum ansa sedem reliquisset, fieri posset, ut suus ipsi locus partium turgore et fluidi ambientis copia antea imminutis, per ipsum motum peristalticum restitueretur? Quam parum vero huic exspectationi tribuendum esset, ex eo, quod partes abdominis inflammatae cito inter se coalescere solent, facile simul intellectum est.

Quapropter, cum hodie recruduisse videretur inflammatio, sauguinis unciae decem e vena mediana bracchii dextri emissae sunt propterea, quod e vena pedis, prius incisa, ob angustam ejus diametrum tam raro et exiguo flumine prodierat, ut mutari consilium deberet. Sanguis eductus, etsi corio phlo-

gistico carebat, crassamentum tamen habuit firmissimum et seri propemodum nihil. — Emulsioni papaverinae adjectae sunt acidi hydrocyanici Guttae sex.

D. IX. Dec. Venaesectio heri instituta praesentissimo fuit levamini, eique majori et longiori, quam quod hirudinum applicatio attulerat, sub vesperam autem secutus erat sudor copiosus. Nihilominus, nocte sine somno transacta, omnium symptomatum ratio denuo prior reperta est, pulsu tamen nunc majore, molliore et liberiore. Quae, cum aliquam saltem hujus medicationis utilitatem testari viderentur, viam semel institutam persequi et venaesectionem in brachio sinistro repetere ausi sumus, ex quo sanguinis unciae octo, ejusdem ut pridie conditionis, detractae sunt.

Jam nova quidem et insignis remissio, immo somnus placidus, ad mediam usque noctem productus, solamen aliquod praebuit aegrae, sudor autem apparuit nullus et virium defectio ingravescere coepit.

D. X. Dec. Habitus corporis magis collapsus, facies pallidior, vultus tristior, pulsus debilior et minor, lingua siccescens, abdominis dolores remissiores, ambitus vero auctus, etsi flatus non solum sursum ac deorsum cum strepitu erant emissi, sed alvus quoque responderat clysmati; urina acque turbida, ac si cum vitello ovi subacta fuisset. Ceterum gangraenam jam propius instantem indicarunt singultus, membrorum calor imminutus et odor gravis, quem aegrotae corpus exhalabat. Ipsa vero aequo nunc animo mortem oppetere visa est.

Ex his constitit:

1) Inflammationem quidem imminutam ejusque transitum in gangraenam retardatum esse medendi

methodo adhuc instituta, propter fomitem autem, a causa mechanica, illi suppeditatum, penitus tolli non potuisse.

2) Maxime nunc resistendum esse paralysi et gangraenae, non neglecto tamen inflammationis gradu leviore, etiamnunc reliquo, idque in hoc extremo rerum discrimine fieri non posse, nisi remediis, quae, quemadmodum facultatem corporis nutricem, formatricem et conservatricem erigendi vim habent, ita quoque vasorum et nervorum actionem moderari possunt. Itaque, remoto nunc Opio et Acido hydrocyanico, emulsionis unciis octo adjecta sunt grana decem Camphorae, Mercurio vero dulci, tertia jam quavis hora ad grani quadrantem adhibito, Moschi tunquinensis granum unum. — Corticis peruviani et acidorum mineralium usum prohibuit singultus et meteorismus; ab externorum vero remediorum usu desistere coëgit abdominis inflati ratio, contrectationis et compressionis impatientissima.

D. XI. Dec. Dolor umbilici regione nunc circumscriptus, in hypochondriis autem, jam paulo collapsis, fere nullus; lingua pura et humida, ructus et flatus rariores, alvus tam enematis auxilio quam sponte soluta, copiosa, pultacea, colore flavo; pulsus frequentissimus, decies et centies per sexagesimam horae micans, parvus, debilis, sed etiamnunc aequalis; cutis turgore, quem adhuc habuerat, prorsus destituta, collapsa, flaccida et frigida; vultus et oculorum conditio paulo melior, anxietas et spirandi difficultas minor, somnus brevissimus, aut nullus. Qui status, quanquam aegrotae minus videbatur molestus, tam longe tamen abfuit a praesagio meliore, ut ipsius gangraenae initium significaret. Ceterum

dolor, eidem loco, unde exierat, nunc arctius infixus, focum inflammationis et causam irreparabilem ibi reconditam esse, demonstravit. Itaque, cum nihil esset, quod indicationes mutari juberet, remediis quoque nec detractum quidquam, nec additum est, nisi quod sinapismus loco maxime dolenti imponeretur et Camphorae Gr. XV emulsioni adjicerentur.

D. XII. Dec. Rerum omnium conditio paulo melior: Inflatio minor, umbilici regio contrectationis paulo patientior, alvi excretio spontanea, sed aquosa, lingua pura et humida, pulsus minus frequens, paulo fortior, nec durus; cutis calidior. Reliqua non mutata. — Jam aequae iterum videbantur lances inter gangraenam et reliquos inflammationis exitus longiores, immo paulo praevaluit spes, vitam nunc diutius servatum iri! Quare medendi viam, non sine aliquo successu initam, continuavimus.

D. XIII. Dec. Spes omnis prostrata! Virium defectio summa, pulsus frequentissimus, exili chordae similis, inaequalis, cutis frigida et collapsa, oculi splendore et vita destituti, artuum tremor, singultus et meteorismus aucti, dolor in abdomine fere nullus, sed alvus ne nunc quidem aut retenta aut praeter voluntatem soluta, quamvis deliria jam intercurrerent blanda et excrementa vel maxime redolerent putredinem. Jam, cum ab ope ferenda otiose desistere prohiberet humanitatis sensus et officium, nihil autem, quod ratio probaret, reliquum videretur, praeter euthanasiae curam; balneum imperatum est aromatico-spirituosum, quo, vita cutis refocillata et sanguinis circuitu per ejus vasa, quousque fieri posset, sustentato, internarum partium oppressio et agonis acerbitas leniretur. Eodem

consilio, sub continuato Moschi et Camphorae usu, sed remoto Mercurio dulci, Infusum Serpentariae virginianae cum Naphtha aceti adhibitum et Vinum, aqua temperatum, ad sitim fallendam, concessum est!

D. XIV. Dec. Balneum, in quo non ultra horae quadrantem commorata erat, verita, ne prius, quam ad lectum referri posset, animo linqueretur, nulli omnino emolumento fuisse compertum est. Immo vero deliria blanda, stupor, ex quo tamen levissimo strepitu emovebatur, extremorum frigus, unguium livor, pulsus vermicularis, alvi et urinae, inscia et nolente aegra, exitus, tremor artuum tendinumque subsultus mortem nunc appropinquantem significabant. — Ita placide reddidit animam ejusdem diei hora II. pomeridiana.

thou conven to entereint muitodescope Practical

costs, programs, magno, copias et colaço fetercinas, anin

. colorein et reasition seri lactic tarbide reforchut.

a deputablished floories of concentration countries.

consilier and continues Months of Compleyers were

and retinate Clerencia dadoi , Inflanam Serprotaciae

Sectio cadaveris postero die instituta est, me moderatore, ab Exp. Bockio, Theatri anatomici Prosectore celeberrimo, cujus dexteritate et indefesso labore quantum per longam annorum seriem adjutus sim in demonstrationibus anatomicis, quas scholae clinicae usus postulabat, ut verbis exprimere et factis remunerari nequeo, ita, dum vivam, gratissimo animo retinebo, largiora et longaevis Viri praestantissimi meritis digna praemia ipsi apprecatus. Quae reperta sunt, ea, quod semper consuevi, sectionum forensium rationem et rem praesentem ipsam secutus, calamo singulatim excipienda curavi his verbis:

- 1) ,, Corpus parum emaciatum, integumento,, rum color maxima parte flavus, in dorso vero ma,, culis latis, purpureis, distinctus et, circa umbili,, cum, viridescens apparuit. Abdomen minus qui,, dem, quam in vivente, sed etiamnunc inflatum
 ,, ita fuit, ut filum, in regione mesogastrica circum,, jectum, peripheriam triginta et novem pollicum
 ,, indicaret. 66
- 2) "Inciso abdominis cavo, e sacco peritonaei "aër prorupit magna copia et odore teterrimo, non "hydrothionico quidem, s. hepatico, sed putrido "magis et feculento, simulque sensim emissae et ex"haustae sunt librae circiter sedecim fluidi, quod "colorem et crassitiem seri lactis turbidi referebat, "cum innatantibus floccis et concrementis caseosis."
- 5) ,,Remoto fluido, intestina inveniebantur stra-,,to lymphae plasticae ubique obducta eorumque gyri

"sed flaccidi magis et, ut videbatur, ipsius fluidi "pondere, compressi et quasi complanati."

- 4) "Omentum gastrocolicum, s. majus, qua "margo ejus inferior in duas excurrit lacinias, medio "inter has loco, laceratum ita fuit, ut ad colon us-"que transversum produceretur hiatus simulque la-"cinia dextra versus flexuram coli dextram, sinistra "vero versus lienem, sursum et retrorsum revoluta "esset, media intestinorum parte, quae in statu na-,turali omento tegitur, nuda. Utriusque laciniae "ipsiusque fissurae margines cum adjacentibus in-"testinis, apices vero revoluti cum superficie infe-"riore Mesocoli firmiter cohaerebant, et sic habenas , quasi, vel ansas formabant, quibus intestinorum ,,pars utrimque comprehensa fuit hoc modo, ut ca-,,nalis eorum aliquantum quidem coarctatus et com-"pressus, sed non interceptus et praeclusus esset. "Margines fissurae reliquam omenti partem crassitie , nonnihil superabant, cum vestigiis ortae jam sup-"purationis, angulus autem, ex quo, sub colo trans-,verso, discedebant laciniae, maculam habuit, ma-, gnitudine nummi argentei octo grossorum, fusco co-"lore imbutam et gangraenae proximam. Ceterum "omentum et intestina, tum ampliora, tum angu-"stiora, rubore partim sanguineo, partim livido va-"sisque, et arteriosis et venosis, sanguine turgidis "erant conspicua, et friabili compage sua gangrae-,,nam ubique obortam testabantur.44
- 5) ,, Mesenterium eo in loco, ubi, sub duo-,, deno, e duabus laminis partis peritonaei dorsalis, ,, inter se compactis et in abdominis cavum produ-,, ctis, nascitur et cum arteria mesenterica superiore

,,decurrit, circumactum et contortum ita fuit ver,,sus latus dextrum, ut circum axin suum, quem
,,inde a vertebris lumbalibus versus umbilicum fin,,gere licet, dimidiam quasi rotationem fecisse vi,,deretur. Hinc evenit, ut ea pars intestinorum,
,,quae in situ partium naturali regionem mesoga,,stricam dextram occupat, sursum ad hypochon,,drium dextrum elevata et simul antrorsum pro,,trusa inveniretur, ibique flexuram coli dextram
,,et marginem hepatis anteriorem tegeret. Pars te,,nuioris intestini sinistra eandem quidem rotationis
,,viam secuta erat, sed per laciniam omenti sini,,stram, sursum et retrorsum revolutam, in situ suo
,,naturali magis quam dextra retinebatur."

- 6) "Ventriculi paries anterior superficiei he"patis concavae adhaerebat per lympham plasticam
 "molliorem, interna vero tam ventriculi quam inte"stinorum superficies inflammationis vestigium exhi"buit nullum. Ceterum ventriculus, duodenum, ileum
 "et jejunum continebant laticem fuscum et biliosum,
 "reliqua autem intestina excrementa fluida."
- 7) ,,Hepatis, lienis, pancreatis et renum pa,,renchyma sanum, externa vero horum viscerum
 ,,omnium superficies coagulo lymphae plasticae ob,,ducta fuit, per quod ubique tam inter se ipsa quam
 ,,cum peritonaeo coaluerant."
- 8) "Ovaria et tubae Fallopianae minorem in-"flammationis gradum suscepisse videbantur. Uterus "cum vesica sanus omnino fuit."
- 9) "In thoracis et cranii cavitatibus, reclusis "ac diligenter exploratis, viscerum omnium summa "integritas reperta est."

male inforced culps, quaestic muta sit? Quae cum paulo copiosius exponere in mimo sit, quan hujus libelli id concedat modus, proxima, quae mihi oblata facell, utar scribendi opportunitate, ut hoe argumentum persequae et ad docu perducam

Huic ego gravissimi casus observationi ejusmodi materiem inesse puto, quae non solum discendi cupidos ad quaestiones historicas, easque utiles pariter ac jucundas impellat, sed menti quoque dignum cogitatione argumentum praebeat. Etenim si quis recte cognoscere voluerit laesionis et abnormitatis a me descriptae causas, naturam, varietates, complicationes, effectus et medendi modum, eum oportebit primum colligere et inter se comparare tam veterum quam recentiorum scriptorum de hac re testimonia et exempla. Quos fontes si vel adire omnes vel exhaurire, pro virium ac temporis ratione non potuero, certe operae pretium fecisse mihi videbor, si, vindicato chordapsi nomine et hujus notionis utilitate practica, antiquitatis contemptoribus vanis et nimia recentioris doctrinae admiratione inflatis demonstravero, plus in hac re vidisse veteres, quam recentiores, hos vero cum nomine, quod obsoletum scilicet et ineptum judicarunt, ipsius rei memoriam ferme deposuisse. - - Alterum est hoc, quod non inutilem operam suscepisse videatur is, qui meditatione assequi studuerit, quam vim habeat ejusmodi affectio violenta in vitae necessitates omnes et in singularum partium munera, quae sint artis, quum ad cognoscendam ejus naturam et sedem, tum ad vitam et sanitatem conservandam praesidia, denique quid respondendum sit judici, si, de alius in hoc malo inferendo culpa, quaestio mota sit? Quae cum paulo copiosius exponere in animo sit, quam hujus libelli id concedat modus, proxima, quae mihi oblata fuerit, utar scribendi opportunitate, ut hoc argumentum persequar et ad finem perducam.

Moie ego gravissimi casus observationi ejusmodi

ricin messe puto, quae non solum discendi cu-

rounted south outsite " smartinger sammes and present

at jurandas impellat, sed monti quoque digman co-

gilatione argumentum product. Etanim si quis recte

eliterilaman materiales montes service setalement

ing tidatages over making thoulant to setterfly and

must colligere of inter se comparare tam virterim

quain recentiorum scriptorum de hac re testimonia

et exempla. Quas tantes ai vel adica omnes vel

exhaurire, pro virinu no temporis rationa non po-

mero de cerco oberne bielenne leciree min Aidepor.

si vindicato chordapsi nomine et lugus notionis

utilitate practical automidia contemploribus vonis

et nimia recentioris doctrinae admiratione inflatis de-

namp , courter neather am had us a videres, quant

recentiones, hos voro com nomine, qued obsoletam

scilicat of inceptum judicarrint, ipsius rei memoriniu

forme depositiser -- Alterum est hore quod non

instiles aperum sagerpine videatur ist qui modita-

tione essequi studonity quant vion limbont imposso omoil

the state of a total and a state of a total and a state of the state o

III 49 Solding Employee and the second

unnib 'entar para besile ' damini aminimal and madine

be multi-makes do meantan age malamasonpos de

vitain et sanitateut conservandam praesidia, donique

quid respondentham sit judici, si, de alius in boc